

bendus, qui nomine testatoris subscribat, *L. 21. C. pr. de Testam. R. I. d. a. 1512. Tit. II. §. 7.*

XI.

Circa octauum hunc testem magna iterum adhibenda est circumspectio; nam primo eadem in hoc, quae in reliquis testibus, desideratur habilitas. Deinde hic non suum tantum, sed testatoris quoque nomen subscribere, atque insimul in subscriptione monere debet, quod ipse testatoris nomine, cum hic propter litterarum imperitiam, vel vim valetudinis, vel aliam quamcunque causam scribere non possit, testamentum subscripserit. Alii tamen subscriptionem sui tantum nominis sufficere putant. vid. BEYER *Delineat. iur. ciu. ad Inst. Tit. de Testam. ordin. §. 64.*

XII.

Praeter scripturam et subscriptionem testatoris, requiritur quoque testium subscriptio, qui omnes et manu quidem propria, testamentum subscribere debent, §. 3. *I. de Testam. ordin. L. 21. C. de Testam.* Hinc vnus testis pro alio subscribere non potest, et testis litterarum expertus ad testamentum scriptum prorsus est inidoneus.

XIII.

Testium denique subsignatio in testamento scripto necessaria est §. 3. *I. de Testam. ordin. L. 21. C. de Testam. R. I. d. a. 1512. Tit. II. §. 7.* Vbi inter alia disputatur, an annulo praecise subsignatio fieri debeat, vt dici videtur in §. 5. *I. de Testam. ordin.* Enim vero,
quod